

modo et hiis causis ea civitas in manus partis Gybeline devenit^a. Calbulenses cum suis exceserunt^b, qui exulando cum Orgoiosis exulibus maxima odia^c exercebant.

Quomodo Paduani superati sunt bello a Cane dela Scalla, capitaneo populi Verone, vicario imperii in Verona et Vicentia, anno Domini MCCCXVIII^o.

Postquam Canis ab impugnatione Cremonae rediit, animum ad vindicandum de Paduanis convertit. Itaque magnas equitum copias Vicentiam contrahit, simulat se comisurum^b ludum equitum, qui torniamentum dicitur. Hoc^d alia vice iam fecerat^e, pulpita in campo Martio construi fecit, ex quibus femine nobiles ludum spectarent. Consilia occupandi oppidum Montis^f-Silicis cum alliquibus^b de eo opido agitat, re composita iter dirigit versus Veronam, ut faleret^b exploratores, qui pro Paduanis ibi erant. Et cum procesisset^b per magnum vie spatium, ab itinere cepto deflexit, Montem-Silicem propero cursu petit non multis comitantibus, ceteri subsecuntur. Vigilia beati Tome apostoli patenti porta ingreditur oppidum, benigne admititur^b, nam id oppidum vicarii^g imperii peculiare est, nulla fuit oppidanis illata vexatio. Arx, que montis vertice sita est, deditionem non fecit. Ex hiis Paduani sunt conteriti^b. Postridie Canis copias ad oppidum Adestum duxit, quod inde abstat per V milia passuum, petit, ut se illi dedant. Illud abnuunt, impugnatione valida et multa cede capitur oppidum, multi cesi sunt promiscui sexus et etatis. Opima spolia capta, nam longa pace omni genere opum erant locupletes. Spolia inde abacta. Fere omnes edes ignis voravit, munimina et valum^h dirupta. Altera die homines castelli Montagnane sitiⁱ non longe a paludibus mitunt^b ex suis aliquos cum clavibus loci, parere se Cani offerunt. Parcitur eis, locus traditur, presidium Canis suscipiunt, omnes inviolati man-

a) 'deueit' Hs. b) So Hs. c) 'odio' Hs. d) 'H (Hec)' Hs.

e) 'Et questo altra volta aviva facto ad Verona in campo Martio, dove aviva facto edifici' Uebers., aber 'ad Verona' kann sehr wohl Zusatz des Uebersetzers sein, das halte ich sogar für ziemlich sicher.

f) 'motis' Hs. g) 'victoris' Hs.; das Wort ist in der Uebers. über-

gegangen. h) So Hs., d. i. 'vallum'; die Uebers. hat 'et spianati steccati

et fosse' willkürlich verändert. i) 'sui' Hs.